Ordinis à IESV qui conuictoribus extat
Editus: hic auido perſpiciendus erit.

# ELEGIA V.

QVi mala non fecit, neglexit fors bona multa:
Nam mala ſæpe latent diſsimulata nimis.
Luxuria inceſtus, vicinæ coniugis ardor,
Seu prædæ ſtudium, ſiue latrocinij,
Nocturnum graſſandi opus, heu, commune iuuentæ
Inſeſtanti agros, paſcua, tecta, nurus.
Ah quoties ſonuit communis in aure querela:
Mox puer hic Venerem, moxque puella ſciet:
Nunc quoque poſt ſepes, nunc poſt carecta latebunt,
Et ſocio facient aduigilante nefas:
Communi ſtudio nunc vna nocte locoque
En expectabunt conſcia ſcorta domus.
Obuia tunc baculis proſternent, atque repellent,
Siue homines noti ſeu quoque bruta ſient.
Veſpera feſtiuam prægreſſa ſecutaque noctem
Præbebit tempus molle, modumque malis.
Vtque venus communis, ita eſt vis, furta, doluſque.
Satrapa num dormit, Prætor, vterque parens?
Heu malum ab his intentatum commune timendum
Siue hoc peruerſi nocte, dieue ferant.
Hoc in agris ſtudium, ſic exercetur & ætas,
Quæ matura bono vergit in omne malum.

ELE-